

Species nova generis *Aristochroa* Tsch. (Coleoptera,
Carabidae).

Descripsit

T. Tschitscherin, petropolitanus.

Aristochroa kaznakovi, sp. n.

Supra smaragdino- s. aurescenti-viridis vel cuprea, elytrorum interstitiis 1^o 3^o 5^o et 7^o lucidis politis, obscure cupreis vel purpurascenti-nigro-aereis, reliquis sericeo-opacis ceteroque capiti cum pronoto concoloribus; antennae et pedes nigra, tibiae rufae s. plus minusve dilute rufescentes Caput mediocre, subtiliter punctulatum, oculis utroque in sexu modice convexis, temporibus brevibus retrorsum convergentibus. Antennae crassiusculae, thoracis basin parum excedentes, articulis 5^o—10^o in ♂ fere aequilongis aspectu a latere latitudine circiter triente longioribus, in ♀ nonnihil brevioribus. Prothorax quadratus, ad latitudinem maximam (in medio sitam) longitudine suâ mediâ circiter triente latior, basi quam apex arcuatim parum excisus distincte (parum vel modice) latiore, lateribus modice arcuatis ad basin sat longe et decise, plerumque fortiter sinuatis, angulis posticis rectis vel parum acutis, setâ praeapicali instructis; supra impunctatus, basi utrinque fortius bistrigatâ, strigis plus minusve rugulosis, exterâ parum brevior et extus plicâ convexâ limitatâ; lateribus ante medium plurisetosus, sulculo submarginali angustissimo, callulo marginali tenui, extus majore ex parte integro et solum ad basin minus determinate vel parum distincte crenato. Elytra ovalia, basi prothoracis margine postico manifeste (nonnunquam parum) latiora, humeris (desuper visis) obtuse angulatis, apice utroque in sexu sat obtuse rotundato, lateribus ante apicem levissime sinuatis eorumque curvaturâ praehumerali parum determinatâ; carinulâ basali subrectâ vel parum sinuatâ; supra modice convexa, ad apicem satis declivia, tenuissime, plerumque subpunctulatim striata, striis per paria subgeminatis, interstitiis 1^o praesertimque 3^o, 5^o et 7^o latis, politis et lucidis, vix parum convexis sed primo intuitu costas indeterminate elatas simulantibus, reliquis, multo angustioribus, perplanis haud

1) Cf. Horae Soc. Ent. Ross., XXXII, 1898, p. 70.

lucidis, nitore sericeo (8^o plane, vel magna ex parte, sicut 9^{um} depolito sericeo); 3^o ad trientem apicalem intus semper unipunctato (praeterea ad basin in alterutro elytro puncto unico abnormi fortuito praedito). Subtus sterni lateribus cum episternis plus minusve punctulatis. Abdominis laminâ ultimâ ventrali in ♂ bi-, in ♀ quadrisetosâ. Tarsi postici extus haud sulculati, onychio subtus utrinque setuloso. ♂♀. Long. 11,5—13 mm.

Thibet or.: vallis fl. Dza-tshu in systemate fl. Jan-tszy-tszjan (Jang-tsze-kiang) (exped. Kozlovi & Kaznakovi! Fin. IV—init. V. 1901). — 7 ♂ et 1 ♀ (coll. Semenov). — Nominata in honorem cl. detectoris.

Ab *Aristochroâ venustâ* Tsch.²⁾, cui omni ratione affinis et similima, differt imprimis elytrorum marginis curvaturâ praehumerali minus determinatâ eorumque interstitio 8^o plane (rarius solummodo magnâ ex parte), sicut 9^{um}, depolito et sericeo; praeterea tibiis rufis vel dilutius rufescentibus, magnitudine plerumque minore et, in ♀♀, antennis distincte parum gracilioribus. Ab *Aristochrois*: *castâ* Tsch., *gratiosâ* Tsch. et *perelegante* Tsch.³⁾ longius adeo distat, inter alia ob prothoracis latera ad basin multo fortius et determinatius sinuatis. Cum *Aristochroâ latecostatâ* (Fairm.)⁴⁾ non potest confundi jam ob 8^{um} elytrorum interstitium haud lucidum, oculos utroque in sexu *modice* convexos, etc.

4

²⁾ Cf. Horae Soc. Ent. Ross., XXXII, 1898, pp. 71—73. Quâ in specie (prov. chinensis Sze-tshuan incolâ) elytrorum marginis curvatura praehumeralis satis determinata eorumque interstitium 8^{um} sicut 7^{um} lucidum politum, tibiae nigrae vel minus determinate rufescentes.

³⁾ E Chinae prov. Sze-tshuan et Gan-su. Cf. Horae Soc. Ent. Ross., XXXII, 1898, pp. 73—77.

⁴⁾ E Chinae prov. Yunnan. In hac specie oculi ♂ *valde* prominuli sunt elytrorumque interstitium 8^{um} est sicut 7^{um} politum*et lucidum. Cf. Horae Soc. Ent. Ross., XXX, 1897, pp. 291—294 (sub: *Feronia*). L. c., p. 291, lapsu in-scriptum est: „intervalles 1^{er}, 3^e, 5^e, 6^e et 7^e“; lege: „intervalles 1^{er}, 3^e, 5^e, 7^e et 8^e“.